



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 97. De pace inter utrumque Regem sancienda magis serio actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C. 1597.

thedrali Ecclesia Hymnum Ambrosianum decantari, urbisque mœnia refici jussit, ac Dominicum Vicum Ambiani Gubernatorem nominans ad castra rediit, quorum universa pene tentoria postridie exorto repente incendio conflagrarunt: interea vero Albertus Montem-Hullinum unicum in agro Caletensi oppidum adhuc Gallorum potestati subiectum tertia obsidionis die occupabat.

§. XCVII.

De pace inter utrumque Regem sancienda magis serio actum.

*Lettr. du Roi
au Baron de
Rosni 9. Oct.
1597.
Thu. l. c.
Spond. ad
hunc an. n. 7.*

Hac ipsa Ambianensis urbis deditio magis expedita reddebatur pacis conciliatio inter Hispaniæ, & Franciæ Reges inchoata; interea enim Bonaventura a Calatagirona Generalis Franciscanorum Minister, qui a Cardinali Legato ultro, citroque commoneare jussus Pontificis nomine in hoc negotio suas partes interponebat, ex Hispania reversus Romam contenderat, ac Clementi VIII. exactam Legationis suæ rationem reddens significaverat, quod Philippus Hispaniæ Rex pacem inter utrumque regnum stabiliendi facultatem dedisset, atque ipsemet Albertus hoc negotium promovere jussus esset, nec non is quantocyus Philippi nomine Richardo-

tum

tum Præsidem ad Picardiæ, & Arthesiæ
fines ablegasset, ad quem etiam locum
Villa-Regius ab Henrico missus advenif-
set, atque inter ambos decretum, ut
primo quoque tempore utriusque partis
Delegati Vervinum in Veromanduis
Gallicæ ditionis oppidum venirent,
ac ibidem de pacis conditionibus serio
agerent. Interim Franciæ Rex quos-
dam ad Elisabetham Angliæ Reginam
ablegabat, qui eidem nuntiarent, quod
præsens rerum suarum vicissitudo omni-
no deposceret, ut pacem cum Hispaniæ
Rege iniret, proin & ipsa ad conditum
locum suos decerneret Oratores, quibus-
cum de articulis utrinque stabiliendis
conferri posset. Ceterum hoc pacis ne-
gotium nonnisi anno sequenti penitus ab-
solutum fuit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1597.

§. XCVIII.

*Hugonottarum consilia post receptam
urbem.*

Quamvis agitata pacis consilia, nec
non recuperatæ Ambianensis urbis
felicitas haud levi terrore Hugonottas
afficerent, propterea tamen nequaquam
magis dociles, minusque protervos sese
exhibebant, quinimo cuncta eorum mo-
limina aperte eo spectare videbantur, ut
armis quantocyus sumptis Regem suum,
ac legitimum Principem invaderent:

*Daniel hist.
de France
p. 205.
Cayet. vol. 3.*